



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

§. 2. Propria sententia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

qualitem non requirere determinatam intensiōem. Si qualitas requireret certam, & determinatam intensiōem, produceretur in prima mensura sui esse cum tota illa intensiōe: ergo qualitas diuisibilis posset produci in instanti sub tanta intensiōe: ergo sub alia maiori ergo posset tota qualitas simul produci: ergo non produceretur successiue. Priores consequentiæ non terrent, sed alliciunt, probabo enim in instanti produci qualitatem diuisibilem. Posteriores consequentiæ pessimè inferuntur: quia, virtus agentium est finita, & illa quæ valet simul tres gradus producere, nequit ad quartum simul cum aliis suam extendere actionem, quia ad maiorem effectum maior requiritur virtus, & minor alia minorem effectum produciens maiorem attingere non valet.

§. II.

Propria sententia.

D Vplicem contemplan tam intensiōis, quam remissionis terminum, quemdam intrinsecum, alium extrinsecum (non loquor de friuolis illis terminis per maximum quod sic, vel minimum quod non:) intrinsecum voco terminum ortum à natura qualitatis illum exigentis; extrinsecum, quem qualitatis natura non sibi præfixit, sed tantum originem trahit à causis extrinsecis determinatis ad producendam qualitatem intra certam latitudinem, non valentibus infra illam suam deprimerè actionem, neque supra illam influxum eleuare.

P RIMA CONCLUSIO: Omnis qualitas cuiuscunque naturæ illa sit, habet terminum extrinsecum intensiōis quem naturaliter excedere non potest. Ratio est manifestas quælibet causa creata habet certam, & determinatam virtutem ad tantam intensiōem, & non aliam maiorem producendam; ergo licet qualitas ex natura sua magis, & magis possit intendi ratione agentis determinabitur ad tantam intensiōem, & non aliam maiorem naturaliter attingendam; quia non potest naturaliter intensiōem attingere, quam nullum agens naturale producere valet.

S ECVNDA CONCLUSIO: Qualitates quæ ex natura sua sunt dispositiones, habent terminum intrinsecum, quem petunt non excedere, & naturaliter nunquam excedunt. Ratio est facilis. Qualitas vt sit dispositio ad formam, debet esse in tanta intensiōe, & non in alia maiori: ergo qualitas, quæ petit esse dispositio ad formam, petit esse in tanta intensiōe, & non in alia maiori; ergo ex natura sua terminum intrinsecum habet intensiōis, quem naturaliter non excedit.

D ICES rectè probari qualitatem exigere tantam intensiōem non tamen conuinci, non posse naturaliter contra propriam exigentiam, illam excedere, sicut enim frigiditas aquæ exigitur vt octo, & potest remitti infra intensiōem vt octo, ita forsan poterit intendi supra intensiōem, quam petit, nec valet respondere intensiōem vt octo esse maximam, quæ dari potest, de hoc enim est questio. Respondeo, posita exigentia formæ ad tantam intensiōem, & non aliam, rectè probari non posse dari naturaliter supra illam intensiōem, quia ignis validissimus inter omnia agentia ad calorem producendum tantum potest producere calorem quem forma exigit: ergo si forma exigit calorem determinatum, tantum poterit calorem determinatum producere: ergo nulla causa creata poterit maiorem alium producere, cum omnes excedat ignis virtute actiua caloris.

T ERTIA CONCLUSIO: Nulla qualitas habet terminum intrinsecum intensiōis, quem non possit supernaturaliter excedere, sed quælibet ex se potest magis, & magis augeri naturaliter intra finitam intensiōem, & infinitam supernaturaliter attingere. Prior pars conclusionis probatur ex eo quod nullum appareat caput ratione cuius non possit qualitas magis, & magis intendi dum non pertingat infinitam intensiōem. Posteriolem probabo Controu. 14 Physic. punct. 5, vbi proba posse dari infinitam intensiōem, & ibidem, n. 9. Respondeo eidem obiectioni, quæ specialiter fit contra infinitam intensiōem qualitatis, quorum gradus sunt subordinati.

Q UARTA CONCLUSIO: Qualitates quæ dispositiones non sunt, neque formæ, nullum terminum habent, quem adhuc naturaliter petant non excedere. Moueor ad hanc conclusionem, quia nullum est fundamentum ad talem terminum constituendum, cur enim lux quantumuis intensa

petet non vltra augeri, si gradus alij intensiōis possibile sint, cum quilibet gradus sit noua perfectio illius, & nullum sit caput ex quo talis intensiō illi disconueniens esse possit.

Q VINTA CONCLUSIO: Nulla qualitas habet terminum remissionis ab intrinseco permanetem, sed ex natura sua potest esse, in qualibet minori, & minori, ita vt in quacunque, quantumuis exigua possit conseruari, etiam si illa non possit operari: Probatur hæc conclusio ex destructione fundamenti oppositæ sententiæ: si propter aliquam rationem, qualitas haberet terminum intrinsecum remissionis, maxime, quia esse est propter operari, & ita non posset esse cum illa mensura intensiōis, sub qua non posset operari, sed hæc ratio est nulla, vt probaui; ergo nullum habet fixum remissionis terminum. Secundo quilibet gradus per suammet intensiōem exigit sui conseruationem, & nulla potest excogitari dependentia in gradibus, quantumuis remissis ab aliis, quibus maior fiat intensiō: ergo independenter ab aliis suam exigent conseruationem, quantumuis sint remissi: ergo naturaliter erit illis debita conseruatio; ergo naturaliter valebunt absque aliis subsistere.

S EXTA CONCLUSIO: Qualitas habens contrarium non habet terminum remissionis adhuc extrinsecum, sed ex omni parte potest conseruari in minori, & in minori, si continuum constet ex infinitis partibus, & indiuisibili intensiōis, si ex puris indiuisibilibus constituatur. Probatur hæc conclusio: quo magis intenditur calor magis remittitur frigiditas. Sed potest intendi calor magis, ac magis successiue in quacunque intensiōe, quouique compleatur calor vt octo: ergo potest remitti frigiditas magis ac magis in quacunque intensiōe, quouique tota peritus expellatur, eadem enim est mensura intensiōis caloris, & expulsionis frigiditatis.

S EPTIMA CONCLUSIO: Qualitas carens contrario: verbi gratia, lux, in opinione, quæ continuum ex infinitis partibus componit habet terminum extrinsecum remissionis. Probo hanc conclusionem. Qualitas vt operetur requirit tantam intensiōem infra quam operari nequit: verbi gratia, qualitatem vt tria: hæc qualitas vt tria est agens necessarium quod semper producat totum quod potest: demus ergo producere lucem vt duo, hæc lux vt duo non poterit lucem aliam producere; quia est minor minima requisita ad operandum, neque ex aliquo capite poterit remitti, quia caret contrario: ergo semper erit intensa vt duo: ergo habet terminum saltem extrinsecum remissionis. Neque poteris dicere posse decrescere propter maiorem distantiam agentis, quia illam constituo in vltima parte spheræ, neque per diminutionem causæ conseruantis: quia cum hæc sit qualitas constituta in minima intensiōe ad operandum requisita non potest remitti, & manere cum virtute actiua requisita ad operandum.

O CTAUA CONCLUSIO: In opinione constituyente continuum ex puris indiuisibilibus qualitas non habet terminum diuisibilem remissionis, sed potest ad indiuisibile remitti. Quia ex nullo capite repugnat causa constituta, in minima intensiōe ad operandum requisita produciens ipsam diuisibile qualitatis absque vlla intensiōe.



CONTROVERSIA V.

De qualitate in ordine ad suos effectus.



E XPLICVI naturam Qualitatis in ordine ad propria intrinseca illius, eandem in ordine suos effectus explicaturus aggredior: necessaria est hæc disputatio ad cognoscendum modum, quo qualitas à qualitate procedat, & valde utilis ad naturam qualitatis melius dignoscendam, illa enim quæ à priori percipere non possumus, per effectus à posteriori nobis innotescunt.

PUNCTVM PRIMVM.

An simile possit agere in simile.

D Vm inquirerem, an gradus qualitatis subordinatio nem inter se haberet iactat difficultas, cur graduum subordinatio